



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Debitu[m] ommitte[n]s correctionis grauter peccat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

errantum contumelia est, nisi forte notabilis læsio  
proximi inde fit.

*Conuicium duplicem importat iniuriam.*

**C**onuicium duplicis iniurię nomen est. Quandoque enim generalem sonat iniuriam in proximum, coram illatam verbis, siue significetur malum culpę, vt esse sacrilegum, sicarium, &c. siue malum pœnæ vt esse cæcū vel claudum: ita quod contumelia est species conuictii. Quandoque autem sonat iniuriam pluriū simul vociferantium iniuriosè contra proximum, vt dicatur conuicium quasi conuictium à multitudine vocū: vt contingit sæpe transeunti pauperi à leuibus personis, iocosè tamen fieri. Et vtroque modo ex suo genere formaliter (hoc est ex intentione dehonoriandi factū) constat esse peccatū mortale: quia quantum est ex intentione actus & loquentis, læditur proximus in honore. Veruntamen propter imperfectionem actus (puta quia materialiter tantum conuictū dicitur sine notabili detrimento honoris, aut quia non verè consensit vt dehonoriandi gratia conuictiaretur, sed quasi primus motus fuit quò ad hoc, aut quia in minimo non curauit dehonoriare) veniale tantum peccatum incurritur. De exemplo autem dicto conuictantium iocosè, diximus: vt intelligatur conuictii significato, non quod iocosè factum, sit mortale, communiter enim veniale est conuictium iocosum, sed quòd seriò & formaliter fit, mortale est ratione dicta.

*Debitū omittēs correctionis grauitèr peccat.*

**C**orrectionis, qua subditi à superioribus corrigi, debent (siue puniendo factis, siue increpando verbis, siue superiores sint Prælati Ecclesiastici, siue domini seculares) omisso quādo, sicut, vbi &c. oportet, proculdubio peccatum est mortale: nisi propter



imperfectiōem actus sit veniale: quia præceptum de huiusmodi correctiōe, præceptum de actu iustitiæ necessariæ, ad publicum præcipuè bonum. Sed perspicere in singularibus casibus occurrentibus, si nunc huius hæc correctio est de necessitate iustitiæ, non est facile: ita quod in generali constat correctiōem de qua loquimur, non posse sine peccato mortali omitti, quando est necessaria ad reipublicam, si correctio incumbit propter bonum publicum: vel ad personam priuatam si correctio exigitur propter bonum alicuius priuati. tenetur enim superior ad exercendum iustitiā propter utrumque bonū. Sed quoniam contingit quandoq; punitionem, quæ propter bonum publicum esset absolutè necessaria, propter incidentia non expedire tunc, sed esse differenda (vt Dauid distulit punitionem Ioab, qui occiderat duos principes) aut remittenda (vt Dauid pepercit Absalom qui interfecerat fratrem, & pepercit Nabal) aut aliter commutandam &c. ideo prudentia quæ circa singularia versatur, maximum locum habet circa huiusmodi correctiōis præceptum exequendum. Nec facile damnandi sunt, qui non omnia corrigunt rationabiliter aliquas correctiōes omittentes (Isboseth: quia minus cautè increpauit Abner, quod ad concubinā patris introisset, regnum perdidit, Dauid quia nunquam increpauit Amon suum primogenitum de stupro sororis reprehenditur à scriptura) nec facile excusandi sunt omittentes corrigere. Ex parte siquidem correctoris, si conatur secundum prudentiam implere correctiōis præceptum, in tuto à mortali peccato conscientia est, etiā si quædoque erraret, esset enim tunc materialiter tantum transgressor, scilicet non ex intentione omittendi correctiōem: & venialiter peccaret, sicut & leuiter correctiōem omittendo, propter imperfectiōem actus ex parte materiæ.

Correctio